

lis, ut etiam ibi notat S. Thomas, vel secundum formam justitiæ commutativæ si aliquod pactum interveniat, ut tantum pro tanto reddatur; vel secundum formam justitiæ distributivæ, ut si per exhibitionem beneficii reddatur aliquis proportionatus, et habilis ad aliquod præmium recipiendum, sicut qui dat eleemosynas redditur dignus prælatura. Quod vero attinet ad vindicationem retribuentem pœnam pro demeritis, illa secundum quod fit a persona publica fit secundum rationem justitiæ proprie dictæ, ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. cviii, art. ii ad primum, vel observando formam justitiæ commutativæ, quando tanta est pœna in quantum fit damnum in culpa, vel secundum formam distributivæ quando attenditur ad proportionem personarum ad recipiendas pœnas: illa autem vindicatio, quæ est pars potentialis justitiæ, et secundum debitum morale respicit retributionem pro malo, sicut gratitudo pro bono, et de qua loquitur specialiter D. Thomas in illa quæstione centesima octava, non pertinet ad vindicationem, quæ fit a publica persona, sive a principe distribuyente pœnas, sed secundum quod fit a persona particulari intendente repellere malum et nocivum, vel per defensionem, vim vi repellendo vel per ultionem postulandam ab eo qui habet auctoritatem publicam, ut docet ipse S. Thomas 2-2, quæst. lxxx, articulo unico ad primum.

XII. Ad secundum respondetur, quod meritum non solum inducit debitum morale, sed etiam legale, licet enim in motivo meriti attendatur potius affectus quam effectus, non tamen attenditur affectus secundum quod exhibet aliquid gratis, et spontaneæ tantum: sic enim est motivum respiciens gratitudinem, sed secundum quod ipsum opus tali affectu factum reddit ali-

quem proportionatum, et dignum respectu alicujus præmii distribuendi, et sub hac ratione ut dignificat, et proportionat personam ad aliquod præmium respicitur a justitia distributiva. Unde aliquando non respicitur affectus, sed scientia, vel industria, aut aliquid simile, quia hoc requiritur ad præmium quod distribuendum est, verbi gratia, scientia ad cathedram, industria ad ministerium. Nec attenditur quo affectu quis scientiam acquirat, sed quo profectu: in justitia autem commutativa tantum attenditur effectus non ut dignificat personam, sed ut facit æqualitatem absolutam inter rem et rem.

XIII. Circa secundum punctum, an in ista retributione meritorum servetur forma, et modus solius justitiæ distributivæ, vel etiam commutativæ, conveniunt multi etiam ex oppositis auctoribus, qui ponunt retributionem meritorum pertinere ad gratitudinem, vel fidelitatem, servare modum justitiæ distributivæ, vel commutativæ, ut videri potest apud Lorcam loco citato. Solus pater Suarez in opusculo de justitia, sectione secunda, non solum ponit servari a Deo modum justitiæ commutativæ in distributione præmiorum, sed etiam ipsam formalem rationem justitiæ commutativæ reperiri in Deo, purificando ab illo omnes conditiones imperfectas, et solum ponendo perfectas, quæ reducuntur ad tres. Prima, ut sit æqualitas juris, seu rei ad rem: secunda, ut sit commutatio aliqua secundum rationem dati et accepti: tertia denique, ut sit aliqua obligatio, seu debitum ex vi juris alterius acquisitum, et comparatum: quæ omnes conditiones imperfectionem non important, ut probabitur ostendendo quod talis modus justitiæ commutativæ servatur a Deo, obligatio autem tribuitur illi, supposita ejus ordina-

tione, vel pacto, sicut etiam requiritur ad reddendum debitum ex justitia distributiva. Et maxime hoc confirmatur, quia ut dicitur ex S. Thoma non repugnat Deo servare modum justitiæ commutativæ in distributione præmii; ergo neque repugnabit ipsa virtus, et formalis ratio justitiæ commutativæ. Ac denique sumitur non leve argumentum ex satisfactione Christi Domini, quæ secundum probabilem sententiam fuit secundum justitiam commutativam; sed hæc justitia est mutua; ergo saltem respectu Christi est justitia commutativa in Deo.

XIV. Cæterum resolutio nostra est dari quidem vere et proprie actum justitiæ distributivæ in retributione meritorum, sed servare aliquem modum justitiæ commutativæ, ipsam tamen formalem rationem commutativæ justitiæ non dari in Deo, et sic communiter sentiunt Thomistæ, ut etiam fatetur Lorca, ut Cajetanus, Ferrariensis, Conradus, et plures alii videri possunt apud magister Gonzalez citata disputatione lxxiii. Prima ergo pars conclusionis sumitur ex D. Thoma 1 p. quæst. xxi, artic. 1, et 1 contra gentiles, cap. lxxiii, ubi inquit: « Justitia quantum ad commutationis actum Deo competere non potest, cum ipse a nullo accipiat. » Unde Roman. xi dicitur: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Per quamdam tamen similitudinem aliqua Deo dare dicimur in quantum Deus data nostra acceptat.* « Non ergo sibi competit commutativa justitia, sed distributiva. » Ita D. Thomas, ubi et negat justitiam commutativam contra Suarez et affirmat distributivam contra Vasquez, et ratio est, quia ex Scriptura constat Deum reddere præmia ex aliqua justitia, ut ii ad Timoth. iv: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex:* et ad Heb. vi: *Non*

enim injustus Deus ne obliviscatur operis nostri. Ergo aliqua justitia ad retributionem operum in Deo ponenda est, et non potest sola justitia fidelitatis, seu promissionis; nam fidelitas ista etiam potest intervenire respectu justificationis, aut primæ gratiæ, constat enim Deum promississe remissionem peccatorum convertentibus se, ut Zachar. i: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Similiter incarnatio quæ fuit principium omnis gratiæ fuit promissa antiquis patribus, ut constat ad Rom. i: *Segregatus in evangelium quod ante promiserat per prophetas suos de Filio suo:* et ad Hebr. vi: *Abrahæ namque promittens nisi benedicens benedicam tibi, etc.* Ergo incarnatio ex fidelitate promissionum est data, et similiter peccatori se convertenti ex promissione datur remissio peccatorum; et tamen incarnatio non est dari ut merces, nec ut corona justitiæ nec remissio peccatorum datur ut corona justitiæ peccatori se convertenti; ergo alia ratio justitiæ, est respectu operum bonorum in homine justo, cui datur ut corona justitiæ retributio gloriæ, quam sit sola et nuda fidelitas, quæ promissionis debitum solvit: est ergo strictus debitum justitiæ in retributione præmii quam fidelitatis; et non est debitum justitiæ commutativæ (ut statim ostendimus) et distributiva Deo non repugnat (ut ostendimus) ergo illa datur.

XV. Secunda pars conclusionis probatur ex D. Thoma 2-2, quæst. lxi, art. iv ad primum, ubi docet in divino judicio servari formam commutativæ justitiæ, tam in reddendo præmio pro meritis, quam supplicio pro culpis. Et quæst. cviii, art. ii ad primum dicit, quod punitio peccatorum secundum quod pertinet ad publicam justitiam est actus justitiæ commutativæ. Et videri etiam potest

in questione LXXX, articulo primo ad primum. Et sic conciliantur loca D. Thomæ, qui aliquando negat justitiam commutativam Deo, et ponit distributivam, aliquando vero commutativam videtur ponere, quia videlicet servatur modus illius, licet actus formaliter sit justitiæ distributivæ. Et ratio est, quia si in merito attendamus non ad ipsas personas merentem et præmiantem, sed ad ipsas res, scilicet meritum quod offertur, et præmium quod retribuitur, est inter ipsas æqualis valor, quia sunt res ejusdem ordinis, et dignitatis; et charitas in via, et in patria ejusdem speciei. Unde in Scriptura assimilatur adeptio gloriæ emptioni, ut Matthæi XIII assimilatur cælum emptioni margaritæ, et Matthæi XXV negotiationi talentorum; quæ omnia modum justitiæ commutativæ important.

XVI. Ac denique unicuique Deus reddit præmium perinde ac si illi soli sine comparatione ad alios conferret, quia dat unicuique juxta opera sua, non uni tantum pro omnibus: ergo servat modum justitiæ commutativæ dans unicuique pretium laboris sui simul et præmium, ita quod in quantum ponderat eujuscumque laborem cum denario recipiendo modum pretii observat, in quantum vero proportionem, et dignitatem considerat, ut universa præmia juxta diversam dignitatem, et communibus bonis beatitudinis conferat, rationem distributivæ servat.

XVII. Denique quod non sit propria, et formalis justitia commutativa inter Deum et homines, ut ponebat pater Suarez, constabit assignando imperfectionem, quam intrinsece importat justitia commutativa respectu Dei. Et multis aliis omissis dico imperfectionem intrinsecam in eo consistere, quod obligatio justitiæ commutativæ nascitur

in uno ex jure alterius secundum æqualitatem: unde uterque comparatur ad alterum ut persona particularis, et ex æquo obligata, quod non currit in obligatione justitiæ distributivæ, quæ non oritur in distribuente ex jure inferiorum, quia non habent jus in re ad bona distribuenda, sed jus ad rem, juxta proportionem dignitatis eujuscumque. Et hinc est quod malus distributor non tenetur ad restitutionem beneficii male collati propter jus inferioris, sed propter obligationem quam habet ad Ecclesiam, vel communitatem cum qua habet pactum tamquam ejus minister de recta distributione facienda. At vero Deus non potest induere obligationem ortam ex jure inferiorum ad se, neque ex pacto cum communitate, cujus sit minister, cum sit Dominus omnium; ergo repugnat Deo formalis ratio justitiæ commutativæ, sicut repugnat quod comparetur ad aliquam creaturam ut æqualis in pacto, vel commutatione, et quod jus creaturæ, in quantum creaturæ est, obligationem in eo judicat. Quod si ex sua voluntate, et ordinatione vult Deus se constituere debitorem, non pertinebit ad obligationem justitiæ commutativæ in quantum oritur ex promissione, et pacto Dei, sed in quantum causatur ex ipsa commutatione, vel actione creaturæ erga Deum, quod fieri non potest, cum a creatura nulla actio causetur erga Deum, nisi prius ab ipso Deo participetur, et descendat; ergo tota ratio obligationis ex Deo derivatur, non ex ipsa creatura, et ideo tota obligatio erit circa distributionem, quia hæc non oritur ex jure inferioris, vel ex jure alterius, sed ex ipsa ordinatione distribuentis circa bonum commune, quæ in inferioribus gubernatoribus est ordinatio illis imposita per legem naturalem, vel pactum cum ipsa communitate;

in Deo autem qui est supremus gubernator non est ordinatio ista imposita ab alio, sed ex propria voluntate descendens, et nullo modo mediante jure alterius orta, quod requirit justitia commutativa.

XVIII. Ad fundamenta patris Suarez constat ex dictis. Ad primum, quod illa conditio importat imperfectionem intrinsecam in justitia commutativa, quæ ponit obligationem in uno ortam ex jure alieno; et non evacuat inconveniens dicere, quod oriatur hæc obligatio ex ordinatione divina, quia licet detur ordinatio divina ad faciendum contractum, vel commutationem cum creatura, sicut etiam nos voluntarie facimus contractus, et commutationes, tamen obligatio ipsa non voluntarie oritur, sed mediante jure alterius sine ejus præjudicio non potest contractus dissolvi: nasci autem obligationem in Deo ex suppositione juris alieni tamquam ex causa, imperfectio intrinseca est.

XIX. Ad secundum respondetur, quod modus justitiæ commutativæ salvatur in duobus. Primum, quod inter ipsas res servatur æqualitas, licet non in debito personarum, secundum quod recompensatur meritum, etiam non habita comparatione ad alios, sed propter absolutum valorem, quem habet, in quo induit rationem pretii, quod pertinet ad modum justitiæ commutativæ; ipsum autem debitum, et obligatio formalis justitiæ commutativæ quatenus oritur ex jure alieno in altero contrahentium non potest salvari respectu Dei, et ideo absolute non habet justitiam commutativam, sed quemdam modum illius.

XX. Ad ultimum de satisfactione Christi Domini respondetur multos negare hanc justitiam commutativam in Christo respectu Dei, contra quos non currit argumentum. Qui vero talem justitiam commutativam

Christo Domino tribuunt non admittunt illam nisi tantum ex parte æqualitatis rerum, quatenus reddit Christus satisfactionem æqualem pro injuria peccati, non tamen ex parte debiti, et obligationis personarum, quod ex sola positione actus nascatur debitum, et obligatio in Deo, et non ex ipsa ordinatione voluntatis ejus.

SEQUITUR EXPLICATIO LITTERÆ
D. THOMÆ.

In articulo quarto inquit sanctus doctor utrum gratia sit principium meriti principaliter per charitatem, quam per alias virtutes. Respondet unica conclusione: Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur.

DISPUTATIO XXX.

DE PRINCIPIO MERITI AD VITAM ÆTERNAM.

Dari in nobis principium ordinatum, et proportionatum ad merendum vitam æternam absolute docet fides, quæ attribuit bonis operibus justorum vitam æternam, ut videre est in Tridentino sessione VI, capite XVI, et canone XXIX. Et quod hoc meritum sit de condigno deducitur ex Scriptura, quæ gloriam ipsam appellat mercedem, coronam, et bravium, et aperte dignitatem tribuit operibus respectu vitæ æternæ, ut II ad Thessalon. I: *Ut digni habeamini regno Dei*: et Apocal. III: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*: et Sapient. V: *Deus tentavit eos, et invenit dignos se*. Et quia